

## De Loxi physiognomonia.

De Loxo physiognomone quod paulo certiores facti sumus, Ioanni Baptistae Pitiae et Valentino Rosio debemus. Ante hos enim Loxi memoria in nominis mentione apud Origenem c. Cels. I § 33 facta et in nonnullis de physiognomonia placitis ab Alberto Magno de animal. I tract. 2 (opp. ed. Lugd. MDCLI t. VI, p. 20 sq.) commemoratis posita erat. Pitra autem (Spicileg. Solesm. III, Parisiis 1855 p. 321—323) e libello anepigrapho, quem Albertus compilavit, quae ad Loxum pertinent, publici iuris fecit et Rosius paulo post (Aneed. I 59) totum hunc libellum edidit. Cum autem Pitra ea tantum elegerit quae Loxi nomen prae se ferunt neque Rosius longius progressus sit, nostrum erit videre, num etiam alia ei vindicari possint. Hoc enim tantum non poscit inde illius libelli anepigraphi.

Cuius auctor, qui male Apuleius<sup>1</sup> creditur, cum expositioni sua ita praefatur (p. 105, 1 R.): *ex tribus auctoribus quorum libros prae manu habui, Loxi medici, Aristotelis philosophi, Polemonis declamatoris, qui de physiognomonia scripsérunt, ea elegi quae ad primam institutionem huius rei pertinent et quae facilius intelligantur. sane ubi difficilis mihi translatio vel interpretatio fuit, gracula ipsa nomina et verba posui* (cf. 152, 5 sq.), quae apud Loxum, Aristotelem, Polemonem reppererit se praebere nec quicquam de suo addere profitetur. Quo promisso eum non stetisse si quis inde concludere velit, quod pauca tantum diserte ac nominatim his tribus auctoribus dedit, is omnino a vero aberret. Nam cum Pseudo-Aristotelis quae feruntur (= Ar.) et Polemonis scripta, etsi non *integra*, sed partim truncata partim epitomata, ad nostram aetatem pervenerint, pro certo affirmare possumus partem longe plerisque operis nostri e Polemone, magnam

<sup>1</sup> Ursonis nomen in codice Amploniano Fol. 378 fol. 19 extare cave colligas ex verbis quibus Schumius hunc codicem descriptsit: *Optimus liber de phisonomia (ex scriptis Loxi medici, Aristotelis philosophi, Palaemonis declamatoris conflatus) et puto eum esse Ursonis. Haec enim non codicis, in quo libellus titulo privus est, sed catalogi sunt ab ipso Amplonio anno 1412 facti (p. 812 n. 32), quem per quam mira ratione Schumius (cf. p. LVI) in codicibus describendis repetivit.*

ex Ar. ad verbum fere redditam esse<sup>1</sup>. E Polemone enim fluxerunt, quamvis raro huius mentio iniecta sit (124, 11; 125, 3; 126, 3; 128, 20; 131, 10; 143, 1; 143, 16; 148, 6; 156, 21, 29; 161, 7, 13; 162, 3; 169, 14, 16, 21) omnia fere<sup>2</sup> quae de signis inde a capite (114, 12) usque ad colores (152, 4) et quae de speciebus inde a forti (157, 3) usque ad cum stultitia nocentem (162, 5) praecipiuntur, quibus accedit exemplum physiognomiae praenuntiae, cuius exordium (169, 16) servatum est, reliqua perierunt. Et ex Aristotelis qui fertur libello fluxerunt praeter pauca illa quae eius nomine insignita signis e Polemone expressis vel immixta (133, 23; 138, 1; 144, 13) vel subiecta sunt (153, 14—156, 19) omnes species quae e Polemone sumptis succedunt inde ab inverecundo usque ad memoria vigentem (162, 6—164, 5).

Itaque nunc videamus, utrum, quod quidem per se probabile est, idem in Loxo evenerit eaeque opusculi nostri partes quas vacuas dixerim ad hunc referendae sint. Pauca enim sunt quae nominatim ei tribuantur: doctrina de sanguine animae habitaculo (105, 9; 111, 28); significatio inferioris labii excedentis (133, 19); signa post ea quae Polemoni debentur prolata (152, 10—153, 13); physiognomia zoologica (165, 16—168, 22); nota de physiognomia praenuntia (169, 14).

Earum autem quas modo dixi vacuas partium maxima est prooemium (105—112, 13).

Iam si reputaverimus auctorem nostrum, quem litteris La insignire liceat, Loxi nomen primo loco collocasse statimque in exordio huius de sanguine animae habitaculo sententiam protulisse, etiam ut reliqua quae cum his cohaerent eidem tribuamus, sententia inclinabit. Atque haec quidem validissimum praesidium inde accipit, quod quae mox de masculino et feminino genere praecipiuntur (106, 11—109, 4), ut ab Ar. et Polemone discrepant, ita aeque ac reliqua graecum fontem produnt imprimis graecis ipsis vocabulis (106, 22 *subnigri quos Graeci vocant glaukos*; 107, 6 *ilibus quae a Graecis dicuntur* ⟨λαγόνες⟩; 107, 15, 17; 108, 20), ut ab auctore ipso inventa esse non queant. Deinde

<sup>1</sup> Hoc duabus commentationibus de Aristotelis quae feruntur physiognomiconrum indole ac condicione (Philologische Abhandlungen, Martin Hertz dargebracht p. 283—303) et de Polemonis physiognomicis ostendi.

<sup>2</sup> Quae excipienda sunt, infra commemorabuntur.

haec opinio hac re fulcitur, quod dictum 110, 6 *nec aliter ingenium hominis bonum constat nisi virtutem ex masculina, sapientiam ex feminina specie conceperit aliquatenus saltem convenit ei quod in expositione sequenti, quae Loxi nomen fert, extat (112, 10) is autem perfectus est animus qui pari virtute est atque sapientia). Neque haec opinio similitudinibus labefactatur quas expositio 109, 5—111, 26 vel cum Ar. vel cum Polemone praebet. Accurate enim examinanti diversitates maiores quam similitudines apparebunt. Neque enim animalia pro exemplis masculinorum vel femininorum proposita (109, 7—9) plane eadem sunt quae ab Ar. 806<sup>b</sup> 8 vel ab Adamantio (375, 5) id est a Polemone nominata sunt. Nullum est apud Ar. vestigium ordinis temporis, quo tres methodi physiognomiae, quas brevi gentilem, pathologicam, zoologicam dicere licet, sese excepsisse dicuntur (109, 10, 16, 24), nullum proprietatum, quae tribus gentibus tribuuntur (109, 13—16). Neque hae gentes eadem sunt quae apud Ar. 805<sup>a</sup> 27; Scytharum enim loco in La Celtae extant, qua de re infra pluribus agemus. Neque animi passiones 109, 19 enumerae prorsus convenient cum Ar. 805<sup>a</sup> 19. Idemque reperies, si 111, 11 cum Ar. 805<sup>b</sup> 4, et 111, 17 cum Ar. 806<sup>a</sup> 7 contuleris. Et ut praestantia oculis attributa (110, 12) cum Polemone (Adam. 324, 10) omnino, cum Ar. 814<sup>b</sup> 4 aliquatenus congruit, ita singularis illa doctrina, quae 110, 11 ita profertur: *pro modo oppugnantium signorum quae obtinebunt mitigabuntur* et 110, 23—111, 4 exemplo illustratur<sup>1</sup>, ab Ar. et Polemone aliena est. Neque haec opinio concidit, si libenter concedimus auctorem expositioni suae singula quae ei placuerunt e Polemone immiscuisse, ut *oculos tanquam fôres animae videri volunt* (110, 13 = Adam. 324, 11 ὥσπερ διὰ πυλῶν τῶν ὄφθαλμῶν ἡ ψυχὴ διαφαίνεται); *parva etenim haec magna sunt et effectus vehementes habent* (111, 8 = Adam. 325, 2 μικρὰ γὰρ ὅντα μεγάλας ἔχει τὰς διαφοράς); *ex improviso nec praecaventem aut se praemunientem considerabit* (111, 19 = Adam. 325, 3; *quāquam* in sequentibus noster ad contrarium finem pervenit).*

Quae sequuntur 111, 27—112, 13 Loxi esse vel hac re probabilius fit, quod iterum eius nomen in iis occurrit.

Atque haec quidem de prooemio.

Sed etiam signorum expositionis quae sequitur prima duo

---

<sup>1</sup> *Frons loquacem non in totum patitur esse; una et cilia cogitationi et fronti (corr. furori) derogant.*

capita quae sunt de capillis (112, 14—114, 6) et de cute capitum (114, 7—11) ad Loxum referenda esse iudico. Graecus fons etiam hic graeco vocabulo οἰνωπός 113, 14 apertus fit. Loxum autem digito monstrant *capilli rari penuria sanguinis* (112, 20) et complura signa ad calidum vel ad frigidum hominem relata (113, 7, 9, 12, 13; 114, 1, 4 cf. 153, 6; 166, 2). Quae infra (144, 15) iterum de capillis praecipiuntur, La e Polemone sumpsit, sed, ut crebro, tanta incuria egit, ut memor quidem fuerit de capillis se iam supra verba fecisse, alio autem se fonte usum esse oblitus sit, unde factum est, ut *discretio* quam in Polemone invenit quamque iam supra a se prolatam esse credidit, non extet. Et si quaerimus, cur La statim post capillorum et cutis capitum descriptionem Loxi vestigia reliquerit et Polemonis presserit, causam hanc fuisse conicere licet, quod intellexerit simplicitati et claritati melius prospectum iri, si Polemonem singulas signorum proprietates singillatim (atque uberioris quam Ar.) pertractantem sequeretur quam si Loxum diversas, ut in capillis colorem, statum, densitatem, crassitudinem, coacervantem atque cumulantem. Singula tantum quae signis e Polemone et speciebus ex Ar. expressis assuta sunt, ut 130, 8—12; 162, 11—13; 163, 6—8; 14, ad Loxum redire possunt, atque id de ultima specie quae est cinaedi (164, 6) etiam magis mihi probabile est. Nam haec a reliquis omnibus ipsa signorum electione, quae e magna parte non tam physiognomonica quam mimica vel extranea sunt (ut 17 qui *tunicam circa lumbos tendunt*), distat neque ex ipsius auctoris ingenio eam profectam esse ullo pacto admitti potest. Vires enim eius haud ambigue excedit. Cum autem de hac una specie agatur, auctor non necesse duxit 156, 28 Loxi nomen Aristoteli et Polemoni addere.

Etiam quae hanc speciem sequitur de nimietate et medietate expositio (164, 19) bene ad Loxum referri potest. Nam ut exempla non plane ad pracepta e Polemone vel Aristotele proleta quadrant, ita tota disputatio superiori (112, 9) quam Loxo vindicavimus convenit.

Idem de epilogo (168, 27—169, 12) statuerim. Etsi enim quae de signis pluribus convenientibus dicta sunt aliquam similitudinem cum Adamantio 324, 4 habent, tamen exempla apud hunc desunt, cum iis autem quae paulo ante e Loxo allata sunt (165, 26; 166, 29) conspirant. Atque quae de signis obscuratis leguntur, ad verbum fere cum iis convenient (111, 11) quae ad Loxum rettulimus. Denique laus physiognomiae zoologicae quae

in ultimis verbis (169, 11) inest egregie ad Loxum quadrat, quem hanc, ut certiorem et faciliorem, praeter ceteras praedicasse (109, 26) supra probatum ivimus.

Talem in modum simul omnia fere inter tres auctores distributa sunt, quaeque auctori ipsi remanent nec multa nec gravia sunt. Quamquam enim versus Vergilii ecl. VIII, 30 et 31 p. 154, 5 pro exemplo allatos auctori detrahere si quis vellet, nefas esset et quamquam si quis similitudinem XXIV litterarum (106, 5; 156, 25), malitiam multiformem<sup>1</sup> (130, 18), facilitatem discernendi vultus (134, 14) eidem vindicare velit, me quidem non habebit obloquentem, tamen haec omnia non ad ipsam physiognomiae doctrinam et expositionem pertinere elucet.

Nunc demum ubi campus ad Loxi doctrinam cognoscendam et explorandam latior factus est, quaenam ei cum Ar. et Polemone ratio intercedat, commode eruere possumus. Consensum enim qui in plerisque inter tres auctores fuit teste nostro (156, 22 *in ceteris enim propemodum omnibus hi tres auctores sibimet consentiunt;* 152, 8 *quae Polemo dixit et consentanea sunt reliquis auctoribus, propemodum prosecuti sumus*) fortuitum esse nemo dicet, praesertim cum Polemonem pleraque sua ex Ar. hausisse iam in commentatione de Aristotelis quae feruntur physiognomicorum indole p. 294 sq. demonstraverim. Ut unum proferam, quod noster 181, 15 diserte testatur, quomodo omnes tres auctores *in ἐπιτρέπειᾳ physiognomiae maximam partem constituere* poterant, nisi alter ab altero accepisset? Neque aliter similitudines illae quas inter Ar. et Loxum cerni supra (p. 507) non negavi explicari possunt.

Quaeritur igitur, uter ab altero pendeat.

Atque Rosium quidem si audimus, Loxus ab Ar. pendere non potest. Is enim (Anecd. I p. 82) in Loxo Eudoxum Cnidium latere sibi persuasit. Verum haec opinio, ne repetam quae alio loco<sup>2</sup> de nominis forma retinenda monui, probari non poterit reputanti, quantum physiognomia zoologica, quam Stagirita novit, ab ea quam Loxus exercuit remota fuerit. E gen. anim. IV 3 p. 769, 18<sup>b</sup> enim elucet illa aetate physiognomoniam zoologicam, utpote quae tantum irrisio causa exerceretur vel duabus tribusve animalibus contineretur, in incunabulis, ut ita dicam,

<sup>1</sup> Cuius exemplar est [Aristot.] Eth. M. I 28 p. 1192<sup>a</sup> 11 τὸ κακὸν πολυειδές.

<sup>2</sup> De Polem. physiogn. p. 6.

iacuisse vel saltem parva initia nondum egressam esse. Ea autem quam Loxus exercebat iam paene omnibus numeris absoluta fuit. Nec magis Rosio assentendum est Loxi doctrinam simpliciorem appellant. Minime enim, quae Rosii opinio fuisse videtur, unam physiognomiae methodum zoologicam, etsi hanc faciliorem et certiorem esse credidit, sed omnes tres secutus est (cf. 113, 3, 11; 131, 15), atque in rebus, in quibus ab Ar. recedit, non solum uberiorem, verum etiam subtiliorem sese praebet quam duo illi libelli Aristotelis vestigiis insistentes (A et B) quibus physiognomica quae feruntur Aristotelis continentur. Conferatur enim descriptio proprietatum corporis masculini et feminini 106, 18 cum Ar. 809<sup>b</sup> 15, electio animalium masculinorum et femininorum 109, 5 cum Ar. 806<sup>b</sup> 9 et perpendatur, quae vis tribuatur parti dextrae vel sinistrale 108, 8, pupillis, palpebris, capillis nasi, longitudini partium corporis (107, 18; 152, 17—153, 12; 107, 12, 21—23). Ac si Ar. 805<sup>a</sup> 27 gentes ad quarum signa homines referendi sint in tres classes Aegyptiorum, Thracum, Scytharum visit, Loxus autem eorum loco Aegyptios, Celtas, Thrases appellat, non modo nexus qui inter utrumque intercedit, sed etiam Seythas a Celtis loco remotos esse apparat. Seythas enim ante Celtas Graecis in accuratiorem cognitionem venisse et in usum physiognomiae adhibitos esse certum fit testimonii Herodoti IV 1 sq., Hippocratis de aq. aér. loc. VI § 91, 94, 113, Platonis Rep. IV p. 436, Aristotelis de anim. gen. V 3, Ephori fr. 123, Aeschyl. fr. 192, Choerili fr. 3 (Kinkel), Strabonis I p. 33; XI p. 507. Quam facile autem Celtae Scytharum locum occupare potuerint, e nomine Celtoseytharum<sup>1</sup> tibi clarum fiet.

Illam vero de sanguine animae habitaculo doctrinam, quam Rosius pro indicio vetustioris aetatis habet, etiam posteriore aetate, velut apud Diogenem Babylonum, viguisse de Polem. phys. p. 6 fusius explicavi.

Denique ne ex hac quidem re, quod Loxus in primis prooemii verbis, quae supra (p. 505) laudavi, primo loco ponitur, de eius aetate colligendum esse, immo vero hoc aptissime ad ordinem, secundum quem La eum in brevario compilando adhibuerit, referri non est quod pluribus exponam.

<sup>1</sup> Cf. Strab. II. II. Plut. Mar. 11. Scytharum et Celtarum ἐργα coniuncta extant apud Polybium IX 34. Cf. etiam Galen. de temperam. II 5 et 6.

Sed etiam certum aetatis indicium<sup>1</sup> repperisse mihi videor in verbis quae e Loxo fluxisse statuimus p. 111, 25 *alius sternumento subito virum se non esse confessus est*, quae proferentem eum facere non possum quin memorem fuisse putem narratiunculae illius quae de Cleanthe stoico, cum Zenone physiognomiae patrono, ferebatur nobisque a Laertio Diogene VII § 173 tradita est (λέγεται δὲ φάσκοντος αὐτοῦ κατὰ Ζήνωνα καταληπτὸν εἶναι τὸ ἥθος ἐξ εἰδους νεανίσκους τινὰς εὐτραπέλους ἀγαγεῖν πρὸς αὐτὸν κίναιδον ἐσκληρατωγημένον ἐν ἀγρῷ καὶ ἀξιοῦν ἀποφαίνεσθαι περὶ τοῦ ἥθους, τὸν δὲ διαπορούμενον κελεῦσαι ἀπιέναι τὸν ἄνθρωπον· ὡς δὲ ἀπιών ἐκεῖνος ἔπταρεν, ἔχω, εἰπεν, αὐτόν, δὲ Κλεάνθης· μαλακός ἐστι)<sup>2</sup>. Nunc autem fortasse non abs re erit etiam alium locum, quem ad Loxum rettulimus (105, 15 *ex qualitate corporis animam speciem mutuari — sicut spiritus infusus in fistulam vel in tibiam vel in tubam. nam cum uniformis sit spiritus, diversum tamen sonat tuba fistula tibia*) cum Cleanthis dicto comparare, quod est apud Senecam ep. 18, 5, 10 nam, ut dicebat Cleanthes, quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum patentiore novissime exitu effudit, sic sensus nostros clariores carminis arta necessitas efficit. Iam cum Cleanthes anno 331/30 natus sit, 264/63 Zenoni successerit, 232/31 vita decesserit<sup>3</sup>, Loxi aetas vix ante medium III saeculum ponenda erit. Et si meminerimus quantam ad animos hominum commovendos incursio illa a Celtis anno 280 in Graeciam facta vim habuerit, etiam melius percipiemus, qua de causa Loxus hos Scytharum loco posuerit.

Scribebam Kiliae Holsatorum. Richardus Foerster.

<sup>1</sup> Quovis fundamento caret opinio Pitrae (l. l. proll. p. III) Loxum fortasse aequalem Varronis dicentis.

<sup>2</sup> Ad eundem fontem referenda sunt quae Cleanthe non nominato Dio Chrysostomus orat. Tars. prior. (II 26 R) narrat.

<sup>3</sup> Cf. papyrum Herculanensem editum a Comparettio, Taurini 1875 col. XXVIII sq. et quae E. Rohdius Mus. Rhen. XXXIII 622 et nuper Susemihlius anal. Alex. Chronol. II p. XXIII sq. exposuerunt.